



## DOCTOR IN SCIENTIIS




Sueciae e confinibus ad oras nostras hospes acceptissima nuperrime advecta est, ideoque maximo meo gaudio vobis nunc praesento **CECILIA JARLSKOG**, rerum naturae investigatricem admodum perspicacem, quae apud Lundenses Professor valde approbata plus quam decennium emittit. De particulis illis minutissimis quas ‘semina rerum’ et ‘primordia’ nominat Lucretius praecipue studet, scite et mathematice decernens qua ratione materiae corpuscula minutissima vel symmetria inter sese cohaereant vel congruentiam amittant. Quibus in investigationibus longe et penitus versata, dignissima sane exstat quae de summa rerum magna cum auctoritate disserere possit quo modo luminis in oras mundus evaserit, nec non cur primordia, quoad ea cognovimus, habitus sic exhibeant. His autem de arcanis Orator vester non plura dicere conabitur, obstat enim non modo linguae Latinae egestas (de qua poeta quoque querebatur), sed etiam scientiae physicae ignoratio sua. Consortioni Europaeae de Rebus Nuclearibus constitutae (quae CERN vulgo nuncupatur) candidata nostra vinculis artissimis diu

consociata exstat, dum vel experimenta quaedam dirigit, vel cum rectoribus de conatibus promovendis consiliaria deliberat. Annus unus et vicensimus hic est e quo tempore Scientiarum Academiae Suecicae inter socios primo adnumerata est. Munere vero momenti magni perfungebatur cum Consortioni Nobeliano de Scientia Physica plus quam decennium adiuncta de praemiis clarissimis assignandis monebat.

*Felix qui potuit rerum cognoscere causas*<sup>1</sup>

Sic de physicis perspicacibus mirifice cecinit vates Mantovanus, et femina insignis quam nunc in conspectu habemus dignissima sane exstat quae in coetu illo beato nomine includatur. Rogo igitur ut plausibus per subsellia geminatis illam salutetis.



## DOCTOR IN SCIENCE

A most welcome visitor from Sweden has come to our shores, and it gives me much pleasure to present to you **CECILIA JARLSKOG**, a very discerning investigator of the physical world, who since 1994 has held a professorship in the University of Lund with signal distinction. Her research activity has focused on those tiny particles that Lucretius called ‘primordial’ and ‘the seeds of things’, and she has skilfully and mathematically investigated the principles on which the sub-atomic and electronic constituents of matter cohere, or lose their symmetry. As a result of long-continued and penetrating research in this field she is in a position to discourse authoritatively on the formation and emergence of the physical world, and on the rationale of the observed properties of its smallest constituents. Your Orator, however, will not attempt to speak at more length about these mysteries, inhibited as he is by the poverty of the Latin tongue (about which the poet also complained), and also by his lack of expertise in natural science. Dr. Jarlskog has long been closely associated with the European Centre for Nuclear Research (commonly called CERN), assisting in the monitoring of experiments, and also as a member of the Scientific Policy Committee. Twenty-one years ago she was elected to membership of the Swedish Academy of Sciences. From 1989 to 2000 she held a significant and influential position as a member of the Nobel Committee for Physics, and so an adviser in the award of the most prestigious of prizes.

*Happy is he who knows of things the cause*<sup>1</sup>

Such was the bard of Mantua’s remarkable tribute to physicists of insight, and the distinguished woman now before us is surely also worthy to be named and included in that happy company. And so in view of her many achievements I ask you to salute her with prolonged applause.

<sup>1</sup> Virgil, Georgics II, 490.

